

- 12 *Va dicitur Pastoribus, qui percipiunt commoda, & non prestant pastoris officia.*
- 13 *Qui ab Ecclesia commodum percipiunt, tenentur concurrere ad ejus reparationem.*
- 14 *Reges, & Principes tenentur habere curam pro bono communi populi.*
- 15 *Regula procedit etiam in causis piis, & in Fisco.*
- 16 *Qui non sentit commodum, non debet sentire onus.*
- 17 *Regule membrum primum: Qui sentit onus, debet sentire commodum: Fallit, quando ex natura rei, vel dispositione Juris officium est sine commo, quale est officium capituli Sede vacante.*
- 18 *Item officium Tutoris juxta legitimi.*
- 19 *Martius adultera percipit dotem sine onere alendi adulteram.*
- 20 *Item Praelati Ecclesiarum, ac Beneficiarii agro percipiunt fructus sine onere.*

Desumitur haec Regula ex I. Secundum naturam. 10. ff. de Reg. Jur. ibi: Secundum naturam est, commodum cuiusque rei cum sequi, quem sequitur incommodum. & l. un. §. 4. ad fin. C. de Caducis tollend. ibi: Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.

Quaeritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, certum quidem esse, hanc Regulam principaliter bimbrem existere, ut patet ex verbis: Et est contra: Doctores tamen, et in re omnes conveniant, non plene convenire in designandis his membris: Glossa siquidem hinc. Et e contra putat, alterum membrum verbis Regulae oppositum esse: qui non sentit onus, nec commodum sentire debet. Alii e contra dicunt, alterum Regulae membrum per au & contra insinuatum esse sequens: Qui sentit commodum, & onus sentire debet. Strein pro majori intelligentia Regulae eam in quatuor non incongrue dividit membra, duo scilicet affirmativa, & duo negativa, ita, ut horum quodvis affirmativum habeat suum e contra negativum; ut proin juxta ipsam Regulae primum membrum affirmativum sit: Qui sentit onus, sentire debet commodum: secundum membrum verè negativum e contra sit: Qui non sentit onus, non debet sentire commodum. Tertium membrum rursus affirmativum: Qui sentit commodum, sentire debet onus. Ac e contra quartum denuo negativum membrum: Qui non sentit commodum, sentire non debet onus. Verum, juxta communem DD. sensam, & praxin applicandi, Regula principaliter duo affirmativa jam recensita censetur habere membra, ita tamen, ut in quovis includatur, & ex eo e contra sequatur negativum, indeque in re omnes conveniant. H. N.

Resp. I. Per onus & commodum intelligit Regula non quævis, sed præcipue illa onera & commoda, quæ vel ex natura rei & actus, vel ex dispositione legis proveniunt, eique sunt annexa. Barbosa hic cum aliis, patebitque ex adducendis infra Juris exemplis. Hinc

Resp. II. Verus Regulae sensus quoad primum principale membrum affirmativum sequens est: Quicumque sentit, & suffert onus, seu incommoda, aut damna alicui rei, vel alicui ex natura, vel dispositione Juris annexa, aut inde provenientia, debet etiam sentire & percipere commoda, ac emolumenta eidem rei annexa, indeque provenientia. Ratio hujus est, tum, quia juxta Reg. 10. ff. de R. J. ipsa natura, & dicitur, ut, qui propter rem aliquam dabit & suffert, ac incommoda, etiam com-

moda, & emolumenta inde provenientia percipiat: prout etiam non nisi ideo ad iubeunda & sustinenda onera, pericula, incommoda plerumque moveamur, quia speramus, & expectamus inde provenientia commoda, atque emolumenta; quod attendens S. Paulus ad sufferenda pro Christi nomine adversa suos ipse securi emolumenta est hortatus 2. Corinth. c. 1. v. 7. illis verbis: Sicut enim socii passionum estis, sic eritis & consolationis: quibus ipsis verbis ad propositum utitur Papa c. 1. de S. pult. addens etiam illam rationem: Dignus est operarius mercede. Tum, quia, nisi sufficientia onera, incommoda & labores sequerentur etiam commoda, melior foret conditio negligentis, quam operantis, ac nemo esset, qui vellet subire onera & labores, non sine humani commercii praesidio.

Declaratur Regula, vel potius primum principale ipsius membrum exemplis Juris: Sic enim quia emptor rei venditæ, etsi necdum traditæ, periculum ac interitum sustinere debet, de jure percipit etiam fructus & commoda rei emptæ v. g. ex auctione pretii, alluvione, vel alia ratione provenientes. §. 3. Instit. de Emptione & Venditione. ibi: Quam autem emptio & venditio contracta sit, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tamen adhuc ea res emptæ tradita non sit, & paulò inferius: Sed etsi post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet. Audi rationem Juris ad propositum: Num & commodum ejus esse debet, cujus periculum est, concordat l. 1. C. de Periculo & Commodo rei vend. ibi: Post perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet.

Sic etiam, quia Parochus onus & labores habet in administrando Sacramento, & alia divina parochianis, ab eisdem de Jure, vel consuetudine competentia commoda percipit, etiam in casu, quò parochianus extra Parochiam sepulturam eligit cit. c. 1. de Sepult. ubi ratio ex S. Paulo supra allegata adducitur, & additur: quia dignus est operarius mercede sua. junctè c. Certificari. 9. eod.

Sic rursus, quia Monasterium onus & sollicitudinem habet in alendo & custodiendo Clerico, ob incontinentiam illud ad agenda pertinentiam detulit, de ejusdem relatis bonis etiam commodum percipere debet. can. de lapsis. 5. cau. 16. q. 6. ex illa ratione: quatenus ipsi (intellige Religiosi) ex rebus illorum subsidium habeant, qui de corruptione eorum sollicitudinem gerunt, ut ait textus.

Sic ulterius, quia usufructuarius onus habet, sed loco arborum demortuam novam plantat, habet, in ejusdem commodum demortuæ arboris cedunt. l. Agri. 18. ff. de Usufructu, & quemadmodum. ibi: Agri usufructu legato, in locum de mortuarum arborum alia substituenda sunt, & priores ad fructuarium pertinent.

Sic insuper, quia creditor, qui loco pecunie ad se mutuo datae fundum in solutum accipit, periculum & damnum sentire debet, si tanti illud distrahere non valet, quanti pecunia mutuo data efficit, pariter lucrum & commodum ei competit, si fundum majori pretio, quam mutuo erat, dividendit. l. Cum pro pecunia. 24. C. de Solutione. ibi: Cum pro pecunia, quam mutuo acceperas, secundum placitum Evandro te fundum dedisse proficioris: ejus industriam, vel eventum meliorem tibi non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris dilaxisset, non justè petit.

Ex præfatio n. 4. posteo principali primo Regulae membro e contra sequitur secundum negativum: Qui non sentit onus, sentire non debet commodum. Cui concordat illud Apostoli 2. ad Thesalonien. c. 3. v. 10.

Si quis non vult operari, nec manducet. Declaratur & firmatur Juris exemplis; Sic quia Clerici non residentes onus in serviendo Ecclesie, & divina peragendo non sentunt, nec commodum, seu fructus beneficii percipere possunt, & si quos perciperint, eos restituere tenentur. c. Ad audientiam. 15. de Clericis non resid. & c. un. eod. in 6. juncto Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reform. præsertim cum beneficium deitur propter officium. c. fin. de Rescript. in 6. & amplius dictum habetur Lib. III. Tit. 4. de Clericis non resid. Sic etiam, qui non vult onus suscipere legato per testatorem impositum non censetur dignus legati commodò l. Nefarius. 32. §. Non semper. ff. de Excusat. Sic patitur usufructuarius, qui onus in satidando proprietario sentire non vult, fructus non percipit. l. Quavis 10. ff. de Damno inf. do.

Resp. III. Verus Regulae sensus quoad secundum principale membrum affirmativum per se & contra, indicatum, hic est: Quicumque alicuius rei percipit commodum & emolumenta, is etiam sufferre debet onera, seu incommoda eidem ex natura, vel Juris dispositione annexa, damnaque inde provenientia. Ratio fundatur in æquitate naturali, quam tantam agnovit Imperator, ut illam nec ferendum, nec tolerandum existimavit, qui lucrum & commoda amplectitur, & annexa damna vel incommoda sufferre non vult cit. l. un. §. 4. C. de Caducis tollend.

Declaratur exemplis Juris: Sic enim hoc quadrant dicta n. 10. videlicet quòd, qui percipit fructus Beneficii, onera quòque annexa sufferre, Ecclesie nempe servire, atque præscripta officia & obsequia divina præstare debeat per Jura ibidem citata. Sic animarum Pastores, qui ab eis varia recipiunt commoda, & emolumenta, onus etiam, scilicet curam, labores, & incommoda officio suo annexa sufferre, sicque animas concreditas caelesti pabulo reficere, ignaras erudire, assistas consolari, errantes reducere, ægrotantes visitare, & Sacramenta administrare debent. in quo ubi deficiunt, & lucro, commo, ac emolumento temporali aut corporali præcisè, vel præcipue inhiant, utique contra hanc Regulam agentes merito timere habent illud à Domino per Prophetam Ezech. intentatum Vt Ezech. 34 v. 2. & seqq. Vt Pastores Israel, qui pascebant semitiplos: Lac comedebatis, & lanis operiebimini, gregem autem meum non pascebatis, &c.

Sic ulterius Beneficiarii, & alii, qui de Ecclesia fructus aut commoda quævis percipiunt, debent etiam onus sustinere succurrendo ad reparationem ruinose Ecclesie, si ipsius media non sufficiunt, aut ea aliunde non habentur c. 1. de Eccles. adific. vel repar. ibi: Quicumque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad recta Ecclesie restauranda. vel ipsas Ecclesias emendandas. juncto Concil. Trident. Sess. 21. cap. 7. de Reform. ibi: Parochiales verò Ecclesias, etiam si Juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurant ex fructibus, & proveniuntibus quibuscunque, ad eandem Ecclesiam quomodocunque pertinentibus; qui non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum parochianos (quia & hi commoda spiritualia percipiunt ab Ecclesia) omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant.

Sic Reges & Principes, qui commoda & emolumenta innumera à populo percipiunt, onus subire debent in habenda debita cura, labore, & vigilantia pro bono communi ejusdem. Sic etiam illi, qui ex vectigalibus, pedagiis &c. commoda & proventus percipiunt, onera annexa sufferre debent, vias nempe pro itinerantibus, & vectigal dantibus debite preparare, reparare, restaurare &c. ut cum aliis bene advertit Strein hic addens, innumera ferme esse, in

quibus Regula quoad dictum secundum principale affirmativum membrum procedit, & cuius consideranti facile patet.

Porrò hoc membrum Regulae ita universaliter procedit, ut etiam in Ecclesiis, causis piis, & Fisco locum habeat, nisi speciali privilegio, pacto, aut conventionione in casu aliquo sint exempti. Strein. hic: ed quòd & ipsi juri naturali, in quo Regula fundata habetur, sint subiecti, ut videlicet, qui ex aliqua re, vel actione percipiunt omnem odium, sustineant etiam onera & incommoda eidem annexa, ac inde provenientia, per Jura superius allegata.

Ceterum ex memorato affirmativo Regulae membro sequitur e contra alterum membrum negativum: Qui non sentit commodum, non debet sentire onus. Hinc juxta Glossam communiter receptam in can. Omnis Justinianus 69. de Consecrat. dist. 1. rectè docetur, Parochum, cui commoda, debite mirum decia & subtre hantur, vel alii proventus, non teneri ad onera ad prædicationem, ne rpe, administrationem Sacramentorum, & alia pastoralia officia. Idem dicendum de Canonicis, & aliis beneficiariis; cum & hi, si redditus debiti eis non præbentur, vel negantur, officia præstare, Missas ligere &c. non obligentur. Iniquissimum enim genus taciti, vel expressi contractus, aut Societatis foret, si cuius unus onus ac damnum, & non commodum, vel lucrum haberet arg. l. Si non fuerint 20. §. 2. ff. pro Socio. ibi: iniquissimum enim genus societas est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet.

Quaeritur II. An, & in quibus fallit Regula? Resp. Eam fallere in aliquibus quoad utrumque membrum affirmativum principale: & quidem quoad Primum n. 4. postum: Qui sentit onus, sentire debet & commodum: fallit universaliter, quando ex propria institutione, & natura rei, vel ex speciali Juris dispositione alicui muneris vel officii onus est annexum sine commo; Exemplum habetur Sede vacante, ubi onus labor, nempe, jurisdictionis Episcopalis, & administrationis transit ad Capitulum, & tan fructus Episcopales interea currentes ad Capitulum non pertinent, sed successorii reservari, vel in utilitatem Ecclesie impendunt debent c. Quia sepe. 40. de Elect. in 6. cum Concord.

Idem est in Tutela, præsertim legitima, ubi Fratres tenentur sustinere onus tutelæ sororis sine commo l. 1. in fine ff. de legitimis Tutor. Item in Mandato; quia mandatatum gratuitum, & sine mercede esse debet. l. 1. §. 4. ff. Mandati. ibi: Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: nam originem ex officio, atque amicitia trahit, contrarium ergo officio merces: Ubi tamen notandum, quòd hujusmodi officia, onus sine commo habentia, gerenti ceteroquin non debeant esse damnos; cum non deceat alicui suum officium esse damnosum, ut dicitur c. Cum non deceat. 30. de Elect. in 6. Ex quo inferunt Doctores, hujusmodi officio, præcisè oneroso fungentes posse repetere expensas intuitu talis officii factas.

Pariter quoad secundum principale membrum affirmativum n. 11. postum Regula fallit ita, ut commodum quis accipiat, quin sentiat onus, ubi leges specialiter sic disponunt, uti habemus Juris exemplum in marito, qui commoda, & fructus dotis uxoris adultere percipit, quin habeat onus adulteram alendi l. un. C. de Rei uxore. actio. & c. Plerumque 4. de Donatione inter virum & uxorem. Quomò si res bene consideretur, hoc exemplum ad fallentia præsentis non pertinet; quia licet maritus in tali casu careat onere alendi adulteram, tamen non caret aliis oneribus, puta, conducendi nutricem, curatricem familie, & ipse quasi viduus non habet adiutorium simile sibi, nec ad alias nuptias transire valet;

valet; quæ onera cum commo-
videntur, ut bene advertit Strein, hic
20 Sic etiam disponere jure Prælati & Rectores Ec-
clesiarum, nec non Canonici & alii beneficiati,
etiam ob senium, vel infirmitatem ad subenda offi-
cia & onera annexa inhabiles sint, tamen percipiunt
commoda, & fructus. c. 1. & c. Ex parte. s. de Cle-
rico egrotante. cum Concord. licet & istud exem-
plum ad fallentias vix pertineat; cum Regula di-

uens: qui sentit commodum, sentiat & onus: com-
prehendere non videatur illos, qui in officio, com-
modum & emolumentum afferente, prius jam exis-
tentes, postea sunt inhabiles & incapaces ad onera
annexa; quia isti prius jam sentierunt, & portarunt
onera: indeque eis convenit illud: Dulcia percipiant,
qui jam gustavit amara: ac de cætero nemo pos-
test ad impossibile obligari juxta Reg. 6. de Reg.
Jur. in 6.

REGULA LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Quid intelligatur per verba in re communi: & per verbum prohibentis?
- 3 Ponitur versus Regule sensus.
- 4 Declaratur exemplis Juris: & seqq.
- 5 Unus conjugum invitò alterò vivere non potest.
- 6 Ponuntur alia exempla Juris: & n. seq.
- 8 Fallit Regula, quando non interest prohibentis.
- Declaratur exemplis: & n. seq.
- 10 Fallit item quando unus, altero prohibente, utitur re communi ad usum destinatum.
- 11 Doctrina Glossæ ad propositum.
- 12 Fallit insuper, quando prohibente uno alter necessaria reparat.
- 13 Item in altis remissivè.
- 14 Potest cuius divisionem rei communis apud Judicem petere.

Definitur hæc Regula ex l. Sabinus. 28. ff. Com-
muni dividundo. ibi: Sabinus ait: ita re commu-
ni neminem dominorum jure facere quicquam, invitò
altero, posse. Unde manifestum est, prohibendi jus
esse: in re enim pari potiorè causam esse prohiben-
tis, constat. Concordat Regula 29. de R. J. in 6.
Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda?
& quis versus illius sensus sit? Resp. I. Per
verba in re communi intelligitur Regula talem rem,
quæ indivisa pertinet ad duos, vel plures ut singulos,
non ut universos, seu prout collegium, aut com-
mune faciunt, sicut communiter tenent DD. Quid
autem sit, rem pertinere ad plures ut singulos: item
ad plures ut universos, seu prout collegium faciunt,
dictum est supra ad Reg. 29. n. 3. & 4. Per verbum
prohibentis autem intelligitur, & comprehendit Re-
gula etiam contradictionem, dissentiam, & opposi-
tionem: ita ut, dum aliquis rem, pluribus commu-
nem, seu que ad plures ut singulos pertinet, distra-
heo, vel mutare vult, & alter, sive dicat, prohi-
beo, sive contradico, dissentio, nolo, me oppono,
prohibere censetur, ejusque conditio potior sit, &
præferri debeat. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Quando
res aliqua pluribus communis talis est, quæ indivi-
sa ad plures ut singulos pertinet, & de hujusmo-
di re alienanda, immutanda, destruenda &c. inter
dominos dissentio est, is, vel illi præferendi sunt,
atque acquiescendum, qui prohibent, vel contradic-
unt, dissentunt, aut se opponunt, etiam si unus
tantum esset. Ratio est, tum, quia non solum ille,
qui mutare, vel alienare, destruere &c. vult: sed
etiam, qui contradicit, vel prohibet, dominus est. Quæ
ratio in exemplo ad propositum de pariete pluribus
communis offertur l. Parietem. 8. ff. de Servitutibus
Prædior. Urban. ibi: Parietem, qui naturali ratione

communis est, alterutri vicinorum demolendi eum,
& rescindi jura non est: quia non solus dominus est.
Tum, quia iniquum est, quòd aliquis in re, vel jure
suo, per factum alienum invitò gravetur, dimini-
tio, aut detrimento afficiatur. l. Non debet. 74. ff. de
Reg. Jur. ibi: Non debet alteri per alterum iniqua con-
ditio inferri: cum proximum lædere etiam juri natu-
rali adversum sit, § 3. Inst. de J. & J.
Declaratur Regula ulterius exemplis Juris: Sic 4
enim, si duo fundum in communi habent, & unus
eorum domum in illo ædificare, vel eundem omni-
no alienare vult, & alter prohibet, seu contradic-
cit, dissentit, hujus contradictionem præferre, ei-
que acquiescere oportet, arg. l. Sabinus. 28. ff. de
Communi dividundo. & cit. l. Parietem. 8. ff. de Ser-
vitut. præd. urb.

Sic etiam, si matrimonio jam consummato unus
castitatem vivere velit, & alter prohibeat, vel
contradicat, hujus conditio potior est, & contra-
dictio prævalet, c. Quidam. 3. de Convers. Conjug.
ubi ex Apostolo additur ratio: quia Vir non habet
potestatem sui corporis, sed mulier: & econtra. Item
Cum vir & uxor una caro sunt, sicut docet Apoll. non
potest unus ad Deum converti, & alter in seculo re-
manere.

Sic rursus, etiam jus eligendi Prælatum ad omnes
Capitulares, etiam ut singulos, pertinet, non potest
electio per compromissum celebrari, vel extraneus ad
suffragandum admitti: si vel unus tantum contradiccat,
c. Quia propter 42. de Elect. ibi: vice omnium. jun-
ctio c. In causis. 30. & c. Scriptum. 40. eod.

Huc faciunt etiam exempla pro declaratione Re-
gule XXIX. à n. 29. adducta; quia illa Regula
cum præfenti multum concordat.
Queritur II. An, & in quibus fallat Regula
præiens? Resp. I. Eam primò & universaliter falle-
re, quando non interest loci prohibentis; cum qui-
vis meritò pati debeat id, quòd sibi non nocet, &
alteri prodest. Dynus hic n. 2. Strein, & alii. l. 1. §. 11.
ff. de Aqua, & aqu. plu. arcend. ibi: Prodesse enim
sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibe-
tur, nec quemquam hoc nomine teneri. cum Con-
cord. Exemplum ad propositum exhibetur in l. Fi-
stulam. 19. §. 2. ff. de Servitut. præd. urban. ubi socius
permittitur scalam, quæ removeri potest, ad com-
munem parietem facere, quia alteri non nocet: ibi:
Scalus posse me ad parietem communem habere, Sabinus
rectè scribit.

Eadem l. Fistulam. pr. ob dictam rationem con-
ceditur, ut quis penes communem parietem possit
balneum habere, dummodò ob assiduum hamorem
non noceat vicino; ibi: non posse prohiberi vicinum,
qui minus balneum habeat secundum parietem commu-
nem, quamvis hamorem capiat parietem: non magis,
quam si vel in triclinio suo, vel in cubiculo aquam ef-
funderet. Sed Neratius ait, si talis sit usus tepidarii,
ut assiduum hamorem habeat, & id noceat vicino, pos-
se prohiberi eum. In eadem lege ponuntur adhuc

alia exempla fallentiam Regule confirmantia: Sic
etiam ob fallentiam rationem, juxta l. Quidam. 13. §. 1.
ff. eod. Parietem communem incursum licet, se-
cundum Capitonis sententiam: sicut licet mihi pretio-
sissimas picturas habere in pariete communi, sunt
verba legis.

- 10 Fallit secundo rursus universaliter, quando prohi-
bente, aut invitò uno, alter re communi fruitur ad
talem usum, ad quem parata, seu destinata est, ut
constat de fundo, seu loco pluribus communi pro se-
pultura: in quo, licet extraneus, etiam unico contra-
dicente sepeliri nequeat: tamen, quia locus pro sepul-
tura Dominorum destinatus est, quis eorum, etiam
prohibente altero, ibi tumulari valet. l. Si plures. 41.
ff. de Religios. & sumpt. funerum ibi: Si plures sit
domini ejus loci, ubi mortuus inferatur, omnes conse-
ntire debent, cum extranei inferantur. Nam ex ipsis
dominis quælibet rectè ibi sepeliri constat, etiam sine
ceterorum consensu.
- 11 Hinc ad propositum post Dynum hic n. 2. be-
nè docet Glossa communiter recepta in §. Religiosum
Inst. de Rerum division v. Invitus. in adduone,
sic discurrendo: aut socius vult ut re communi, aut
in ea reparare, vel facere aliquid ad eum usum, ad
quem parata, seu destinata est: & potest, etiam alio
prohibente vel contradicente cit. l. Si plures: aut ad
eum usum, ad quem parata non est: & tunc subdis-
tingue; aut interest prohibentis non uti: & melior
est conditio prohibentis per Jura n. 3. citata; aut non
interest prohibentis: tunc melior est conditio facien-
tis, per Jura citata n. 8.
- 12 Fallit tertio in casu, quo pro conservanda re

communi reparatio, vel quæ aliud necessarium fieri
debet, v. g. si tectum domus ruat, &c. tunc præ-
cavere, parietem fulcire, trabem immittere necesse
est; tunc enim id ab uno fieri potest: etiam altero pro-
hibente. Immo si locus ad hoc contribuere detrectat,
ademptione domini, quod in re communi habet,
puniri potest. l. Si (ut proponis) 4. C. de Ad. fi-
cis privatis ibi: Si (ut proponis) socius edificat,
ad rescissionem ejus, sumptus conferre detrectat:
non necessarium extra ordinem fieri subveniri de jure
debet. Etenim si solus edificaveris, nec intra quatuor
mensium tempora cum centesimo nummus, pro por-
tione socii erogatus, restitutus fuerit, vel, quò minus
id fieret, per socium sitisse, constitutus, jus domini
pro solido vindicare, vel obtinere juxta placitum an-
tiquitatis poteris.

Fallit quarto pro favore obtinendæ libertatis. 13
Quintò in concursu plurium patronorum ad ideam
beneficium. Sextò, quando Princeps vel fideus rem
cum aliis communem habet, per dicta & probata ad
Reg. XXXIX. n. 12. 14. & 15.

Illud etiam circa rem pluribus communem notan-
dam venit, quòd si communicio inter socios diffi-
cilis appareat, vel ex illa immineant, aut jam adfuit
discordia, vel incommoda, ad hæc averteunda qui-
vis ex sociis apud Judicem instantiam pro divisione
facere possit, & obtinere debeat. l. Cum pater. 77. §.
20. ff. de Legat. II. & l. fin. C. de Communi dividun-
do. ibi: In communitate, vel societate nemo compelli-
tur invitò detineri: Quapropter aditus præfes Pro-
vinciæ, ea, quæ communia tibi cum sorte pertine-
rit, dividi providebit.

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio faciendæ.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Per verba legem intelliguntur conditiones & obli-
gationes contractibus appositæ.
- 3 Ponitur versus sensus Regule.
- 4 Minor dicitur tam utile, qui minor est quatuordecim,
quam qui vigintiquinque annis.
- 5 Ponitur exemplum de stillicidio.
- 6 Testis obscura deposito contra producentem est in-
terpretanda.
- 7 Fallit Regula, quando de mente legem ponentis
alienæ cerit, vel versimilitudine constat.
- 8 Item, si aliis oculus esset irritus:
Interpretatio faciendæ est, ut res potius valeat,
quam pereat. Ibid.
- 9 Fallit etiam in Donationibus, de quibus non satis
constat.
- 10 Item in votis.
- 11 Et in Testamentis.

Definitur hæc Regula ex l. Veteribus. 39. ff. de
Pactis. ibi: Veteribus placet, actionem obscu-
rum, vel ambiguum venditori, & qui locavit, nocere
& in quorum fuit potestate, legem apertius conscri-
bere. Concordat l. Labeo. 21. ff. de Contrah. Empt.
ibi: Labeo scripsit, obscuritatem pacti nocere potius de-
bere venditori, qui id dixerit, quam emptori; quia
potuit re integra apertius dicere.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda?
Et quis versus illius sit? Resp. I. Per
verbum legem hic præcipue intelliguntur pacta, condi-
tiones, vel obligationes, quæ contractibus apponi
solent, ut cum aliis bene advertit Canisius hic; quia
hæc in Jure etiam leges vocantur, private scilicet,

uti l. Legem. 10. C. de Pactis. ibi: Legem, quam di-
xisti, cum dotem pro alumna dures. Servari oportet.
& l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur. ibi: Legem enim
contractus dedit. cum Concord. Hinc est hæc Re-
gula etiam de aliis actionibus, tamen potissimum in
contractibus procedit: cui conformiter
Resp. II. Verus Regule sensus hic est: Quando
in contractibus, & aliis actibus pacta, conditiones,
vel alie obligationes quasi leges ad alterum obligan-
dum per verba obscura, dubia, vel ambigua appo-
nuntur, interpretatio faciendæ est contra eum, qui hu-
jusmodi leges apposuit. Ratio est tum, quia in obscu-
ris minimum, id est, minus gravans & obligans est
sequendum, juxta Reg. 30. Jur. in 6. Tum, quia, qui
asserit, alterum sibi esse obligatum, vel se ad obli-
gationem esse liberatum, probare debet. l. 2. ff. de Pro-
bat. ibi: Et incumbit probatio, qui dicit, non, qui ne-
gat. & l. 1. C. eod. ibi: Ut creditor, qui pecuniam pe-
nit numeratam, implere cogitur; ita rursus debitor,
qui solutum affirmat, ejus rei probationem præstare
debet: Et quidem non qualemcumque, sed claram;
cum probatio obscura, vel dubia non relevet. arg.
c. In presentia. 8. de Probat. & l. Neque nates. 10.
C. eod. consequenter, qui non nisi per verba obscu-
ra, & ambigua alterum sibi obligatum dicit, meri-
tò contra se interpretationem pati debet: præfer-
tim, quia in ejus potestate fuit legem apertius dicere.
cit. l. Veteribus. indeque sibi culpam imputare de-
bet. Quod idem & alia ratio fundat, videlicet ut
caveantur doli, & fraudes, quæ in verbis obscu-
ris, ac ambiguis intervenire possunt, Strein. hic.
Tacit. hic n. 1.

Declaratur Regula exemplis Juris: Sic enim, qui
suam professionem impugnans dicit, le tempore
professionis fuisse minorem, contra ipsum interpre-
tatio

tatio fit, quod fuerit minor 25. annis, consequenter professio exiterit valida; Cum verbum illud, minor annis. duobus modis potuerit intelligi: cum & qui minor est quatuordecim annis, & qui viginti quinque. dicitur solei minor: ut habetur cit. c. In presentia 8. §. Præterea. de Probat. Et hinc quia potuisset clarus dicere, afferendo se impuberem fuisse, & non dixit, merito contra se interpretationem pati debet.

5 Sic etiam, si in vendenda domo additur: *sillicidia, uti nunc sunt, ita maneat*; & dubium est, utrum servitus sillicidii efficiat domum venditam, vel potius ea, quam forsitan venditor contiguam, vel vicini adhuc habent, contra venditorem de rebus adhuc illius interpretatio facienda est; quia conditio hæc apposita ambigua est. l. Si arborem. 17. ff. de Servit. præd. urb. & l. Cum in lege 33. ff. de Contrah. Empti. ibi: *Cum in lege venditionis ita sit scriptum: flumina, sillicidia, uti nunc sunt, ut ita sint, nec additur, quæ flumina, vel sillicidia: primi spectari oportet, quid adhi sit, si non id appareat, tunc id accipitur, quod venditori nocet; ambigua enim oratio est.*

6 Ad sensum Regulæ ponit Glossa in cit. c. In presentia. g. de Probat. v. Verbum dubium, ulterius aliud exemplum, videlicet, quod in casu, quo quis pro se producit testem, & hic depositionem dubiam facit, contra producentem interpretatio facienda sit. cit. c. In presentia. quia afferenti incumbit probatio, & quidem clara per Jura citata n. 3.

7 Queritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LVII? Resp. Eam fallere in pluribus: veluti 1. quando mens legem, seu conditionem obscure ponentis aliunde certò, aut verosimiliter constat; quantumvis enim juxta hæc dicta in ambiguis contra profertem interpretatio facienda sit: tamen ubi de mente illius certa, verisimilior notitia habetur, juxta eam procedendum est per dicta & ex jure probata ad Regul. 30. n. 3. & ad Regul. 45. de Reg. Jur. in 6. Insuper in obscuris, quod verisimiliter est, & quod plerumque fieri consuevit.

8 Fallit 2. si ex facta contra obscure profertem interpretatione, tota dispositio irrita, & omni carens effectu evaderet. Ratio est; quia universaliter interpretatio sic facienda est, ut verba aliquid operentur, & dispositio potius valeat, quam pereat. arg. l. Item veniunt. 20. §. 6. ff. de Heredit. petis. & l. Quoties. 12. ff. de Rebus dub. ibi: *Quoties in alio- nibus, aut exceptionibus ambigua oratio est, commo-*

dissimum est, id accipi. quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat.

Fallit 3. in Donationibus, quando de eis verè factis satis non constat; vel, si constat quidem, dubium tamen manet, an plus vel minus donatum sit: Item si iis derogaretur juri jam quæsitò tertii, vel communitatis; licet enim alias in donationibus præsertim Principum, de quibus satis constat, latissima pro donatario interpretatio sit facienda. c. Cum dilecti. 6. de Donation. ad finem. ibi: *quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima interpretatio est adhibenda. junctâ l. Beneficium Imperatoris, quæ à Divina scilicet ejus indulgentia proficitur, quam plenissime interpretari debemus: Tamen quia donare, suum perdere & jactare est l. filiusfamilias. 7. pr. ff. de Donat. suum autem jactare in dubio nemo præsumitur. arg. l. Cum de debito. 25. pr. §. sin. verb. ff. de Probat. merito pro donante fit interpretatio, ubi de donatione non satis constat. Ob quam eandem rationem pro eodem interpretatio fieri debet, si dubium est, an plus, vel minus donatum sit. Pariter pro donante interpretatio facienda, si per donationem præjudicatur quæsitò juri tertii; quia huic præjudicare velle nemo censetur per dicta & probata supra ad Regul. 15. n. 26.*

Fallit 4. in Votis, utpote in quibus stante dubio, vel ambiguitate pro vovente fit interpretatio per dicta supra ad Regul. 30.

Fallit 5. in Testamentis, & ultimis Voluntatibus; has enim interpretari testatoris est, quamdiu vivit. l. Heredes palam. 21. §. 1. ff. Qui testament. facere poss. post mortem autem testantis si circa res legatas dubium remanet, electio ordinariè penes hæredem est. l. si quis. 32. §. 1. & l. legato. 37. ff. de Legat. I. qui minimum præstanto satisfaciatur, per dicta ad cit. Reg. XXX. num. 8. Nisi forsitan legatum penitus periret, casu quo interpretatio pro legatario non fieret, ut bene advertit Dynus hic num. 11. cum universaliter loquendo in debis interpretatio ita sit facienda, ut actus valeat potius, quam pereat. cit. l. Quoties. 12. ff. de Rebus dub. vel nisi servus aut alia res generaliter legetur, quia tunc electio penes legatarium est, textu expresso §. Si generaliter. 22. Instit. de Legat. ibi: *Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est; nisi aliud testator dixerit. junctâ l. Qui duos. 20. ff. de Legat. I.*

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde?
- 2 Contra bonos mores idem ac quod contra legem est. Juramentum non est vinculum iniquitatis. Ibid.
- 3 Ponitur versus sensus Regulæ.
- 4 Prohibita de Jure in favorem tertii servanda sunt, si juramentum consummansur. & seq.
- 5 Juri, & favori suo quis renuntiare potest.
- 6 Omne Juramentum, quod non est contra bonos mores, obligat.
- 7 Contractus juramento firmati, quando servari debeant, remittit.

Videtur desumpta hæc Regula ex l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur. ubi post medium sic habetur: *Legem enim contractus dedit, exceptio eo, quod Celsus putat, non valere, si conveniet, ne dolus præstetur, hoc enim bonæ fidei iudicio*

contrarium est; & ita utimur. Concordat can. Inter cetera. 22. cau. 22. q. 4. v. Porro. ibi: Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis, vel matricidii, vel fratricidii, seu cuiuscunque criminis. & Reg. 69. de Reg. Jur. in 6. ibi: In malis promissis fidem non expedit observari.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam per verba contra bonos mores idem dicere velle, ac contra legem naturalem & divinam, vel etiam humanam, sub gravi vel levi culpa obligantem; quidquid enim contra hujusmodi legem sit, offensiva DEI, etiam hoc ipsò malum, ac contra bonos mores est, utpote qui tales non sunt, ac quod legi difformes, & divinam Majestatem offendentes existunt. Qui igitur jurat facere, quod lex prohibet, vel omittit, quod lex præcipit, juramentum servare non obligatur, sed potius obligatur tale juramentum

contra

Regula LVIII. Non est obligatorium &c.

contra legem factum, non servare, hoc ipsò, quod legem observare tenetur. v. g. qui jurat proximam iniuste persequi eum in bonis famæ, vel fortunæ ledere, verberare, vulnerare, occidere &c. vel qui jurat, quod parentibus, vel superioribus non velit obedire, nulli pauperi etiam in gravi necessitate existenti elemosynam præbere, etsi bene posset; nullam amplius audire Missam, vel quid aliud omittente, quod agere tenetur: non obligatur servare tale juramentum, sed potius obligatur illud non servare, & illo non obstante facere, quod lex præcipit, & omittente, quod prohibet. Ratio est, tum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis cit. cau. 22. q. 4. & c. Quanto. 18. de jurejur. id est, neminem vinculis ligat, stringit vel obligat ad iniquam: cuiusmodi omne illud est, quod contra legem, consequenter contra bonos mores, & quod malum, ac peccatum est. Nulla autem existente obligatione juramenti, remanet obligatio legis, contra quam juratum est. Tum, quia *Nemo potest ad impossibile obligari. c. Nemo. 6. de Reg. Jur. in 6.* Ea autem, quæ contra leges, & consequenter contra bonos mores sunt, sicque licitè fieri nequeunt, inter impossibilia reputantur per dicta & probata ad cit. Reg. 6. ergo jurans illa facere, juramentum servare non obligatur.

Resp. II. Verus Regule sensus hic est: *Qui jurat aliquid facere, vel omittere, quod contra jus, seu legem naturalem, vel divinam, vel humanam, sub gravi vel levi peccato obligantem, consequenter contra bonos mores est, & licitè observari nequit, juramentum servare nullatenus obligatur, sed potius tenetur illud non observare, edque non obstante, legi obedire.* Per Jura & rationes jam allegatas: patet tam ex jam adductis, quam obvis aliis exemplis.

Objici solent contra hanc Regulam plura ex Jure, per quæ manifestè patet, quod etiam prohibita de Jure observari debeant, si quis ea servare juravit: Sic enim renuntiatio, quam filia dotata facit de futura successione paterna à Jure reprobat. l. fin. ff. de Suis & Legis. & l. Pactum, quod dotati. 15. C. de Pactis: tamen si filia cum servare jurat, juramento stare tenetur textu expresso c. Quamvis 6. de Pactis in 6. ibi: *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut*

dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis; si tamen juramentum non violaverit, nec dolo, præstitum firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debet; cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

Sic pariter, etsi fundi dotalis alienatio de Jure sit prohibita. l. un. C. de Rei uxor. actio. §. Et cum Lex. 15. tamen si mulier eam juramentò firmata illud servare tenetur. Jure civili propterea per Jus canonicum correcto c. Licet. 2. de Jurejur. in 6. ibi: *Licet mulieres, quæ alienationibus dotum & donationibus propter nuptias consentiunt, non contravenire proprio juramento firmantes, servare juramentum hujusmodi, non vi, nec dolo præstitum, de Jure Canonico tenentur; quia tamen quicquid Judices seculares eas contra præstas alienationes audiunt, quamvis eis constet legitime de hujusmodi juramento: Nos animarum periculis obviare volentes, eosdem Juices ad servandum hoc Jus canonicum per locorum Ordinarios censurâ ecclesiasticâ decernimus compellendos. Plura alia hujusmodi exempla adducit Vivianus: ad quæ tamen ac alia Resp. cum dicto Viviano & aliis, plura per legem prohibita servari debent casu, quò firmatur juramento, si sunt prohibita ob sui turpitudinem, negatur: si sunt prohibita præcisè in privilegium tertii (qualia sunt in exemplis allegata) conceditur; cum enim quisvis juri & favori suo renuntiare valeat, arg. c. Si diligenti. 12. de Foro compet. & l. Si Juxta 41. ff. de Minor. ibi: *Unicusque licet contemneret, hæc quæ pro se introducta sunt debet id, quod in sui favorem a lege prohibuit est, observare, si illud servare juraverit; quia licitè servare potest arg. cit. c. Quamvis 6. de Pactis in 6. & c. Licet. 2. de Jurejur. in 6.**

Hinc Doctores communiter docent, in Regula nostra: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum: implicitè continere aliam econtra oppositam, videlicet: Omne juramentum, quod contra bonos mores non est, consequenter licitè servari potest, obligatorium est, & servari debet. per Jura præced. citata.*

Cæterum plura circa hanc Regulam, præsertim an 7 & quando contractus de Jure prohibiti, & invalidi, juramentò firmati servari debeant, fufius habetur Lib. II. Tit. 24. de Jurejur. §. 3. & 4.

REGULA LIX.

Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde?
- 2 Quomodo Regula intelligenda?
- 3 Ponitur versus sensus illius.
- 4 Qui non illo à quo petit, sed alteri restituere debet, reus doli non est.
- 5 Nec ille, qui non statim, sed primum cum tempore restituere tenetur.
- 6 Declaratur Regula exemplis Juris. & seqq.
- 7 Maritus petens à funde uxoris dotem nondum solutam, doli reus censetur.
- 8 Sicut & usurarius petens solutionem usurarum.
- 9 Fallit Regula in casu restitutionis spoliatorum.

Desumitur hæc Regula ex l. In condemnatione. 173. §. 3. ff. de Reg. Jur. ibi: *Doli facit, qui petit, quod reddendus est. & l. Dolo 8. ff. de Doli mali excepti. ubi etiam exemplificatur Regula: ibi: Dolo facit qui petit, quod reddendus est, si si heres damnatus sit, non petere à debitoribus, potest uti exceptione doli mali debitor, & agere ex testamento.*

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam esse intelligendam, quòd ille dolosè, & malitiosè, fraudulenter Jus Can. Tom. VI.

dandique animò agere præsumatur (fundatur enim hæc Regula in præsumptione) qui rem ad se non pertinentem petit ab aliquo, quam etiam acceptam eidem, à quo petit, exigente justitia, statim iterum restituere tenetur. Ratio Regulæ est; quia hoc ipsò, quod quis rem, quam ab alio petit, eidem statim ac recepit, iterum restituere debeat, nullam videtur habere justam petendi causam, consequenter ex dolo & malitia animò, quæ fraudandi petere justè præsumitur. arg. cit. l. Dolo. Fraudibus autem, & malitiis hominum non indulgendum, sed occurrendum est. arg. l. in fundo 38. ff. de Rei vindicta. Addit Vivianus aliam rationem; quia videlicet lex & natura horrent inutiles ambages, & circuitus, ac propterea volunt, ut, quod paucis fieri potest, non fiat pluribus. arg. l. fin. C. de Emancipat. lib. consequenter id quis ab aliquo minime petere, sed relinquere debet, quod, postquam accepit, eidem statim iterum reddere, seu restituere debet.

Resp. II. Regulæ sensus verus est iste: *Omnis ille ex dolo, & animo fraudandi de jure præsumitur, qui rem aliquam ad se non pertinentem ab altero petit, quam etiam obtinens, eidem, à quo petit, exigente justitia, statim iterum reddere, seu restituere tenetur.* Per Jura, & rationes n. 1. & 2. jam allegatas. Notanter autem dicitur,

dicitur, quam eidem, à quo petit, iterum restituere tenetur, quia Regula non est intelligenda de illo, qui petit ab altero rem aliquam, quam non eidem, à quo petit, sed alicui alteri, domino nempe suo restituere debet. *l. Si fover. 44. §. 1. ff. Solut. Matrim. ibi: Cùm absurdè dicitur, doli videri eum facere, qui non ipsi, quem convenit sed alii restitutus petit.* Hinc doli reus minimè cenetur commodatarius, qui rem sibi commodatam, & postea à fure ablatam, ab eodem petit; quia eam non furi, à quo petit, sed alteri, domino videlicet reddere debet. Sic Procuratores & advocati, nomine sui Principalis rem ab injusto de- tentore petentes, dolose agere non præsumuntur, etsi rem, quam petunt, statim restituere debeant; quia non illi, à quo petunt, sed alteri, domino videlicet suo, restituere tenentur.

4 Dicitur notanter ulterius, quam statim, seu in continenti restituere debet eidem, à quo petit, nam qui rem non statim, sed post intervallum temporis, v.g. post annum eidem, à quo petit, restituere tenetur, doli reus non præsumitur, *arg. l. fin. §. 1. ff. ut Legat. caus. cavetur.* ubi pater à filia institutus hæres, ut post mortem suam nepoti, testatrix filio, hæreditatem restituit, doli reus non censetur ex eo, quòd à superflite marito res filiae defunctæ petat, licet eas restituere teneatur nepoti, quia restitutionem non statim, sed primò post mortem suam facere debet. Quamvis etiam ex alio capite à dolo immunis esset; quia nimirum non illi, à quo petit, sed alteri, nepoti scilicet suo restituere debet.

5 Cæterum declaratur Regula, & sensus illius exemplis Juris; Sic enim hæres, qui hac cum conditione institutus est, ne peteret à certo debitor debitum, dolosus censetur, & doli exceptione repellitur, si debitum à debitor petat; quia eidem, etiamsi debitum obtineret, statim iterum reddere deberet. *cit. l. Dolo. §. ff. de Doli mali Excepti.* per textum num. 1. citatum.

6 Sic pariter magis doli reus præsumitur, & doli

exceptione repellitur, si defunctæ conjuge dotem à focero, seu patre defunctæ conjugis promissam, sed nondum solutam petat. *arg. l. Apud Celsum. 4. §. 1. & 2. ff. de Doli, & met. Excepti.* quia eidem statim iterum restituere deberet. Nec obstat, quòd vi l. 1. C. de Rei usor. act. maritus primò post intervallum unius anni teneatur restituere dotem defunctæ conjugis; quia tempus hoc solius commiserationis causâ conceditur marito, ut, cùm pecunia parata sæpe non statim habeatur ad manum, eam interea comparare, ac postea pro quantitate dotis restituere valeat. Quæ ratio cùm in dote necdum soluta non militet, petens dotem maritus reus doli præsumitur; cùm eidem, à quo petit, statim iterum reddere deberet.

Sic ulterius usurarius, qui usuras à debitor petat ex dolo agere præsumitur, & doli exceptionem pati debet, quia usuras, quæ à debitor petit, eidem statim restituere deberet. *Cum tu. 5. & c. Tuas. 13. de Usur. ibi: Compellat restituere ipsius (usuras videlicet) postquam fuerint persolutes, ne de dolo & fraude contingat eos commodum reportare.*

Quæritur II. An, Et in quibus fallat Regula LIX? Resp. Eam præcipuè fallere in casu restitutionis spoliatorum, Nam, ut contra nonnullos bene notat Dynus hic, etsi hæc Regula non tantum in petitorio, sed etiam in possessorio adipsicandæ & retinendæ procedat, tamen fallit in iudicio recuperandæ possessionis, quia spoliatus ante omnia est restituendus. *c. fin. de Ordine cognit. cum concordant.* Hinc etsi sciat spoliatus, se rem, quam à spoliatore sibi pro recuperanda possessione restitui petit, eidem statim iterum debere reddere, tamen doli reus non est; quia iustam causam petendi habet, ut nempe iuxta Juris præscriptum spoliatus ante omnia in possessionem restituatur, prout amplius diximus lib. II. Tit. 13. de Restit. spoliati, §. 3. ubi tamen §. 4. etiam subjungimus casus, in quibus restituio spoliatorum ante omnia non fit, & consequenter in iisdem fallentia hæc non procedit. Vide ibidem, ne inutilis fiat repetitio.

REGULA LX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Mora quid, & quotuplex? ac quid Exceptio? remissive.
- 3 Quomodo Regula intelligenda? Ibid.
- 4 Ponitur verus sensus Regule.
- 5 Exceptio legitima quæ?
- 6 Enarrantur causæ legitimæ reddentes exceptionem.
- 7 Citatus etiam ab illegitimo Iudice (nisi notorie sit talis) comparare debet.
- 8 Legati dominium statim post mortem legantis transtulit ad legatarium.
- 9 Illegitima exceptio non excusat à mora.

DEFUMITUR hæc Regula ex l. Nulla. 88. ff. de Reg. Jur. ibi: Nulla intelligitur ibi mora fieri, ubi nulla petitio est. adde: vel si quæ est, exceptione legitima elidi potest. *l. Nihil interest. 112. ff. de Reg. Jur.* quia nihil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sit? Ante responsum supponitur ex dictis supra ad Regulam XXV. m. 2. & seq. quid? & quotuplex sit mora? Quid autem, & quotuplex sit exceptio, fuscè declaratum habetur Lib. II. Tit. 25. §. 1. de Exceptionibus. Quòd supposito Resp. I. Regulam sic esse intelligendam, quòd ille, qui

ex iusta, & rationabili causa se defendere, excusare, sicque contra actorem petentem legitime excipere potest, quare tempore aliàs debito præscripto non solverit, aut non fecerit, vel præstiterit verum, aut præteritum debitum, non sit in culpabili mora, quæ poenas, & malos effectus secum trahat; consequenter ad eos condemnari nequeat; qui enim in culpabili mora est tempore debito solvendi, faciendi, aut præstandi, quòd debet, tenetur ad resarcienda damna omnia & incommoda ratione moræ secuta, v.g. ad estimationem rei, quæ tempore moræ etiam casu petiti: ad compendandos fructus: ad interesse & usuras: ad poenas in contractu appostas &c. prout amplius explicatum, & ex jure præbatum habetur, per dicta ad Regulam XXV. à n. 6. A tali igitur mora culpabili, hujusmodi poenas, & malos secum trahente effectus Regula immunem declarat illum, qui legitima exceptione se tueri & defendere, id est, allegare, & probare potest, quòd ex rationabili, iusta, legitima causa tempore aliàs debito non solverit, vel non fecerit, aut præstiterit, quòd debebat, vel eum debere, prætendebatur: id enim probando legitima exceptione se tueri dicitur contra actorem petentem, vel prætendentem. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regule sequens est: Non est in culpabili mora solvendi, faciendi, vel præstandi, qui eo tempore, quò aliàs debet, vel debere prætenditur, non solvit, facit, aut præstat, quòd debet, aut debere prætenditur,

Regula LX. Non est in mora, qui potest &c.

contra iudicem non suum, legitime excipit. *l. Contumacia. 53. ff. de Rejudicat. & l. fin. ff. de jurisdictione.* ibi: Extra territorium jus dicenti impune non paratur. Idem est, & si supra jurisdictionem suam veli jus dicere: & tamen si citatus à tali iudice non comparet, in mora esse, & contumax reputatur. *l. Si quis ex aliena. 5. ff. de iudiciis.* Resp. hoc verum esse, quando dubium, seu notorium non est, iudicem esse incompetentem; quia Prætoris est, estimare, an sua sit jurisdictionis, vocati autem non contemnere auctoritatem Prætoris, sicut dicitur *cit. l. Si quis ex aliena.* Hinc citatus venire debet saltem ad ostendendam fore incompetentiam, *cit. l. Si quis, ibi: In jus vocati veniant, sua privilegia allegaturi.* junctâ *l. 2. ff. Si quis in jus vocatus.* ibi: Ex quacunque causa ad Prætorum, vel alios, qui jurisdictionem præsumunt, in jus vocatus venire debet; ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictionis ejus sit. Quare si vocatus contra hoc excipit, legitimam exceptionem non habet per leges citatas. Secus est, si notorium habetur, quòd citans Iudex incompetens sit; tunc enim comparere non tenetur, sed legitima exceptione se tueri potest. *cit. l. fin. ff. de Jur. Jur. & c. fin. de Condit. in 6. ibi: Cùm extra territorium jus dicenti non paratur impune;* patetque in casu, quò Clericus a laico, utpote notorie incompetenti Iudice citatur.

4 Dicitur autem iusta causa excusans, & legitima exceptio illa, quæ in jure Divino, naturali, aut humano directè, vel indirectè ita fundatur, ut replicatione elidi non valeat; quia si replicatione elidi potest, pro legitima non habetur. Dyn. hic n. 3. Vivianus hic. & alii communiter; Nam sicut idem est ipso jure non habere actionem, & habere actionem, quæ possit exceptione excludi, textu claro *l. Nihil interest. 112. ff. de Reg. Jur.* sic idem est, omnino non habere exceptionem, & habere exceptionem, quæ per replicationem excludi potest; cum ita se habeat replicatio ad excludendam exceptionem, sicut se habeat exceptio ad excludendam actionem. *l. 2. ff. de Excepti.*

5 Porro causæ iustæ, legitime excusantes, legitimamque reddentes exceptionem, ne quis censetur esse in mora, plurimæ sunt; ex quibus aliquas in specie subjungimus. Tales namque sunt Primò, si solutio pro tempore est impossibilis, aut iustò difficultior; quia nemo potest ad impossibile obligari juxta Reg. VI. de Reg. Jur. in 6. & citata ad eandem supra. Secundò, si debitum provenit ex facto alieno: ut si testator reliquit debitum, quia hujus datur excusans ignorantia juxta Regulam XIII. de Reg. Jur. in 6. Ignorantia facti, non juris excusat: & dicta ad eandem supra. Tertiò, si creditor debito tempore solutionem obtinam acceptare renuit, per dicta ad Reg. XXV. n. 2. Quartò, ubi mali doli, vel metus gravis injustè incussus contra prætendentem, vel petentem creditorem datur exceptio. *l. Pecunie funebis. 9. ff. de Usur. & totò Titulò de doli mali, & metus exceptione.* Quintò, si debitum non est liquidum. Sextò, si jam facta est compensatio aliqua ex parte petentis. Septimò, si petens implet contractum non implet. Octavò, si exigit temporis dilatio est; quia in hac notabile non sentitur damnum. *l. Si debitori. 21. ff. de iudiciis.* ibi: Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis; nec est necesse statim cum sacro accurrere. *l. Quòd dicimus. 105. ff. de Solut.* ibi: Quòd dicimus—debere statim solvere, cum aliquo scilicet et tempore adire debet.

6 Objicitur autem contra Regulam I. Qui excipit

contra iudicem non suum, legitime excipit. *l. Contumacia. 53. ff. de Rejudicat. & l. fin. ff. de jurisdictione.* ibi: Extra territorium jus dicenti impune non paratur. Idem est, & si supra jurisdictionem suam veli jus dicere: & tamen si citatus à tali iudice non comparet, in mora esse, & contumax reputatur. *l. Si quis ex aliena. 5. ff. de iudiciis.* Resp. hoc verum esse, quando dubium, seu notorium non est, iudicem esse incompetentem; quia Prætoris est, estimare, an sua sit jurisdictionis, vocati autem non contemnere auctoritatem Prætoris, sicut dicitur *cit. l. Si quis ex aliena.* Hinc citatus venire debet saltem ad ostendendam fore incompetentiam, *cit. l. Si quis, ibi: In jus vocati veniant, sua privilegia allegaturi.* junctâ *l. 2. ff. Si quis in jus vocatus.* ibi: Ex quacunque causa ad Prætorum, vel alios, qui jurisdictionem præsumunt, in jus vocatus venire debet; ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictionis ejus sit. Quare si vocatus contra hoc excipit, legitimam exceptionem non habet per leges citatas. Secus est, si notorium habetur, quòd citans Iudex incompetens sit; tunc enim comparere non tenetur, sed legitima exceptione se tueri potest. *cit. l. fin. ff. de Jur. Jur. & c. fin. de Condit. in 6. ibi: Cùm extra territorium jus dicenti non paratur impune;* patetque in casu, quò Clericus a laico, utpote notorie incompetenti Iudice citatur.

Objicitur 2. Debitores ex personali actione condemnati gaudent legitima exceptione. *l. Debitoribus. 31. ff. de Rejudicat.* & tamen hæres pro re legata conventus, & condemnatus, non obstante hac legitima exceptione tenetur ad restitutionem fructuum, post litem contestatam perceptorum. *l. In Fideicommissi. 3. ff. de Usur.* Ergo etiam legitima exceptio non excusat à mora. Resp. hæredem in hoc casu ad fructuum restitutionem teneri non propter moram, sed ne ex re legata, tanquam aliena locupletior fiat contra Reg. XLVIII. de Reg. Jur. in 6. ibi: Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria. Strein hic n. 3. Salycetius in *cit. l. In fideicommissi.* Cùm enim rei legitime dominium legatarius statim post mortem legantis acquirat, *l. à Titio. 64. ff. de Furiis.* ibi: quia ea que legantur, restituta videntur eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt: ex illa tanquam re aliena hæres fructus percipere non potest, & si percipit, legatario restituere tenetur.

Objicitur 3. *l. Nemo. 32. ff. de V. O.* pro moroso habetur, qui excipiendo in iudicio litigare maluit, quam restituere: ergo exceptio non purgat moram. Resp. ibi sermonem esse non de iusta, & legitima, sed injusta exceptione: quæ utique moram non excusat, bene verò exceptio legitima & iusta, textu claro *l. Si quis solutioni. 24. pr. ff. de Usur. & fruct.* ibi: Si quis solutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit, non videtur seisse moram: utique si iuste ad iudicium provocavit.

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Ponitur verus Regule sensus.
- 3 Declaratur exemplis Juris.
- 4 Quæ à minoribus sunt sine auctoritate tutoris, valida sunt, si in eorum commodum cedunt, invalida autem, si eis damosa essent. & n. seq.
- 5 Professores plebeio genere nati, evadunt nobiles docendo 20. annis.
- 6 Privilegia antiqua per nova non tolluntur, sed a Reversituel Jus Can. Tom. VI.

gentur: ibid.

- 6 Hæredes etiam pinguem nunquam adire potest pupillus sine tutoris auctoritate.
- 8 Judæi die sabbathi non possunt conveniri, nec conveniri in iudicio.
- 9 Prælati Ecclesiastici repudiando hæreditatem, vel legatum, tenentur ad restitutionem. Ecclesia gaudet Jure minoris. Ibid.
- 10 Sicut vera est Regula præsens, sic vera est eidem à contrario opposita: Quod in poenam, & odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem.

tatem, & commodum converti: nisi remotè ac mediè.
 11 Regula fallit in gratiis & favoribus non motu proprio, sed ad petitionem concessis.
 12 Desumitur hæc Regula ex l. Nulla. 25. ff. de Legibus. ibi: Nulla juris ratio, aut æquitas benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriorè interpretatione contra ipsorum commodum producimus ad severitatem & l. Quod favore. 6. C. eod. ibi: Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sentus sit? Resp. Eam intelligendam esse juxta sequentem sensum, qui proprius illius est: Quod alicui conceditur ut gratia & favor pro commodo ac utilitate, non ita interpretandum est, ut ei sit oneri, incommodo, vel præjudicio. Ratio Regulæ est: quia Rescripta accipiunt vires & effectum ab intentione rescribentis arg. c. Ad aures 3 de Rescriptis: ibi: cum non sit intentionis nostre: & quod ad unum effectum atque finem ordinatum est, ita accipi non debet, ut producat effectum contrarium. l. Cum & Judices. 2. §. 9. C. de Jurejur. propter calumn. ibi: ne aliquod contrarium eveniat proposito nostro, & quod pro compendio litium introductum est, protinus hoc in adversariam figuram transformetur. consequenter quod alicui tanquam gratia & favor concessum est, in ejus odium, incommodum, & præjudicium trahendum non est per Jura n. 1. allegata: præsertim cum aliæ gratia & favor concessus, ex utraque sua naturâ, odium & onus evaderet.

3 Declaratur Regula exemplis Juris, & quidem præcipue in Minore; in hujus siquidem favorem statutum est, quod non possit stare in judicio sine autoritate tutoris. l. Clarum 4. C. de Autoritate præstanda. ubi ratio apponitur illis verbis: ne ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesset eis poterat, & à deteriore calculo eos eripere. junctâ l. Momentanea. 3. C. Qui legitimam personam standi & c. adeo, ut si nihilo minus sine autoritate tutoris litiget, & contra ipsum feratur sententia, hæc de Jure nulla sit l. 1. C. eod. ibi: Si, cum esses pupillaris ætatis, sine tutoris autoritate cum adversario consistens, Præses Provinciae adversus te pronuntiaverit, minime autoritate judicari nititur, quod statutum est. Cum Concord. Et tamen si sententia in favorem minoris litigantis sine autoritate tutoris fertur, valida existit l. Non ed minus. 14. C. de Procurat. ubi pariter ratio subjungitur his verbis: Minoribus enim ætus in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit.

4 Rursus in favorem minorum introductum est beneficium in integrum contra venditorem: quod uti si non litis, adversarius petere non potest rescissionem contractus invito minore: ne in ejus læsionem, vel dampnam retorquetur, quod in illius favorem introductum est. l. Si Judex. 41. ff. de Minor. Sic pariter in favorem minoris lege introductum habetur, quod si moveatur quæstio de statu, & bonis illorum, judicium differri debeat usque ad annos pubertatis l. Carbonianus. 3. §. 5. ad finem. ff. de Carbonian. Edict. ibi: ne de statu periclitentur, antequam se tueri possint, ut ait lex; & tamen si paratas pro se habent probationes, & causam statim decidi volunt, id fieri debet, ne quod in favorem concessum habetur, in eorum vertatur præjudicium. cit. l. Carbonianus. ubi eadem additur ratio: quia non debet adversus pupillos observari, quod pro ipsis excogitatum est, & pendere status eorum, nisi jam possit indubitanus esse.

Sic ulterius Professores, de plebeo genere nati, et si 20. annis docendo efficiantur nobiles, l. un. C. de Professore. qui in urbe Constantinopolit. Tamen non

perdunt favores, quibus ut plebei gaudebant, ne nova gratia, & favor concessus ei noceret. Et universaliter novæ gratiæ, & favores non extinguunt veteres: nec per nova privilegia tolluntur, vel revocantur antiqua (nisi exprimat) sed augentur & confirmantur l. fin. C. de Præpositis agentium in rebus. ibi: ita tamen, ut privilegia, quæcumque jam per dispositiones principales imperitis, & nunc usque observata esse noscuntur, intacta custodiantur; addita ratione; cum per absurdum, & perquam temerarium sit, hæc nostræ liberalitatem petitis, quæcumque astuta interpretatione non ad augmentum anteriorum privilegiorum, sed diminutionem convertere, concedi.

Obicitur autem contra hæc Regulam primò: In 6 pupilli favorem sanctum est, ne valeat adire hæreditatem, quamvis pinguis, & lucrosa sit, textu expresso g. 1. Instit. de Autorit. tut. & l. Obligari. 9. §. 3. ff. eod. ibi: Pupillus hæreditatem adire non potest, quamvis lucrosa sit, atqui hoc videtur pupillo præjudiciosum: ergo quod in gratiam concessum, etiam in ejus dampnum torqueri potest. Resp. cum Dyno, & Glossa hæc; id non esse pupillo damnosum, sed favorabile, & utile; quia ordinariè periculum est, ne hæreditas habeat latentia onera, quæ pupillo magis nocere possent, quam hereditas prodesset, ad quæ pericula & damna evitanda in favorem pupillorum sanctum est, ut etiam apparentem pinguem hereditatem adire non valeant sine autoritate tutoris: quæ ratio etiam additur cit. §. 1. Instit. de Autorit. tut. ibi: neque tamen hæreditatem adire, aliter possunt, nisi tutoris autoritate, quamvis illis lucrosa sit, audi rationem: ne ullum dampnum habeant.

Hinc bene post Dynum advertit Gloss. cit. quod, 7 etsi universaliter loquendo in cunctis de quibus certum est, conditionem pupilli effici meliorem, valeat factum pupilli etiam sine autoritate tutoris per Jura n. 4. & 5. citata; tamen sic non valeat in iis, in quibus ejus conditio vel deterior fit, vel periculum, & dubium est, an deterior, vel melior evadat: prout res se habet in additione hæreditatis.

Obicitur secundò: Ex privilegio, & favore Judæis concessio non possunt hi die sabbathi conveniri. l. Die Sabbathi. 13. C. de Judæis. ibi: Die sabbathi, vel reliquis, sub tempore, quod Judæi cultus sui reverentiam servant, neminem aui facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri debere præcipimus: sed hic idem favor illis odiosus est; quia & ipsi propterea etiam Christianos tali tempore convenire non possunt, cum dictis verbis legis statim addatur: ita tamen, ut nec illis detur licentia, eodem die Christianos Orthodoxos convenire. Resp. cum Dyno hæc: Privilegium Judæis datum non fletisse in nuda concessione illis facta, sed additam esse conditionem, ut servetur æqualitas inter litigantes: & vitetur inæqualitas juxta præscripta Juris, sique Judæos gaudere suò privilegio, prout fuit. Accedit, non tam ex præfata lege, quam Lege Mosaicâ principaliter provenire, quod Judæi in die Sabbathi non possint convenire Christianos: quod verò Christiani ipsos præfata die convenire nequeant, provenire præcisè ex privilegio legis, quod plene fruuntur, sine subsecutione novi oneris. Strein hic n. 3.

Obicitur tertio: Officium Prælati Ecclesiastici ex sua institutione ad favorem & indemnitate Ecclesiæ spectat, & tamen Prælatum potest repudiare hæreditatem, & legata Ecclesiæ relicta per suæ dicta & probata Lib. III. Tit. 10. §. 2. atqui hoc videtur Ecclesiæ non ratò præjudiciosum: ergo quod in favorem est concessum, etiam in dispendium retorqueri potest. Resp. per accidens, & contra intentionem Juris esse, quod per repudiationem hæreditatis vel legati Ecclesiæ præjudicet Prælatum, utpote quia Jure datur Ecclesiæ, ut universaliter etiam in repudiando legato 8 damna

damna Ecclesiæ vitet, non cavet. Eorum autem, quæ per accidens eveniunt, non habetur ratio. Strein hic n. 3. Accedit, quod, sicut tutor, si sua actione lædat pupillum, tenetur dampnum resarcire l. Quidquid. 7. C. arbor. tutel. ibi: Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa, aut levi, si u curatoris minores amiserint, vel, cum possent, non acquisierint, hoc in tutelæ, seu negotiorum gestorum utile judicium venire, non est incerti juris. Sic etiam Prælatum tenetur resarcire dampnum causatum Ecclesiæ, utpote quæ gaudet Jure minoris. c. 1. de In integr. restit. ibi: Quod si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius (cum Episcopo ejus conditionem facere deterior em non liceat, & Ecclesia juris minoris debeat semper illæsa servari) quæ in detrimentum ejus data consulerit, ad ipsius conveniri jus, & proprietatem redire. Casu quo autem Prælatum satisfacere non potest, succurrit Ecclesiæ beneficio restitutionis in integrum. arg. cit. c. 1. de In integr. restit. & l. 1. ac fin. C. si minor. ab hæredis.

10 Ceterum sicut juxta dicta omnino vera manet Regula: Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum: sic à sensu contrario vera etiam est Regula, quam illa implicitè continet: Quod in peccatum & odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem, vel commodum converti, uti notat & pluribus probat Glossa hic, & Dynus, c. 2. de Translat. Episc. circa med. ibi: Quod statum fuit ad peccatum, irrah non debet ad gratiam, cum Concord. quam tamen contrariam Regulam cum Dyno sic intellige; quod idem actus

non possit simul esse immediata, & proxima causa peccati, & præmi, seu commodi & damni: bene tamen mediata & remota; sic enim licet in peccatum, & odium suspecti tutoris constitutum sit, ut tanquam suspectus removeatur ab officio: tamen id etiam in commodum illius redundat, quia exinde non tenetur amplius de periculo administrationis negligere. l. De-reto. 10. ff. de susp. & Tutor. Sic etiam, etsi in peccatum & odium militis, per ignominiam dimissi, statutum sit, ut neque in urbe, neque alibi, ubi Imperator est, morari ei liceat, ut dicitur l. 2. §. 4. ff. de His, qui notantur infamia, tamen exinde etiam id commodi & utilitatis consequitur, quod excusetur à tutelæ, quæ deseruntur in urbe, & aliis oneribus militum; Nam, ut bene argumentatur Dynus hic n. 16. Deditum est causa peccati: peccata verò est causa inhabilitatis ad quem actum, vel officium: inhabilitas autem est causa remotionis ab actu, remotio est causa exemptionis ab onere incumbente ratione actus vel officii.

Quæritur II. An, & quas sententias habeat Regula LXI? Resp. Eam fallere in gratiis, quæ non motu proprio, sed ad instantiam petentis sunt concessæ. Glossa & Dyn. hic. Exemplum habetur in c. Prudentiam. 2. de Mutuis peti. ubi clausula appellacione remota in favorem impetrantis obtenta, in eisdem læsionem retorquetur, si reus ipsum coram eodem Judice conveniat. Ratio sententiæ fundatur in illo Juri principio: Quod quid Juris in alterum quis statuerit, ut ipse eodem Jure utatur. Tot. Tit. ff. Quod quisque Juris in alterum. & c. Cum omnes. 6. de Consiit.

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Verus illius sensus ponitur.
- 4 Sine consilio nil agendum. Ibid.
- 4 Procedit Regula etiam in casu, quo consilium nocet tertio.
- 5 Dummodo bona fide detur.
- 6 Consilium fraudulentum non excusat. Ibid.
- 6 Fraudulenter consulens subinde tenetur non ipsi, cui su. su, sed tertio, cui dampnum inde secutum est, restituere: Quando? & quomodo?
- 7 Et, qui delictum suadet, nil debetur.
- 8 Fallit Regula in Assessoribus, Advocatis, Medicis, & aliis, qui ex defectu scientiæ, vi officii debent, bona fide, sed damnose suadent.

consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur: quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Unde sibi imputare debet, si ex consilio, quod quis non necessario, sed liberè sequitur, dampnum sentiat. Tum, quia si quis ex consilio, etiam bona fide & prudenter dato ad rescissionem damna præter intentionem sepe legi solita obligaretur, & à commodis inde secutis excluderetur, nemo foret, qui consilium dare vellet: cum tamen pro humano commercio optimum, immo exigente charitate sæpe necessarium sit d. re, & audire fidele & prudens consilium. Nam ut Spiritus S. loquitur: ibi salus, ubi multa consilia. Prov. 11. §. 14. & cap. 12. §. 15. ibi: qui sap. ens est, audit consilia. Nam qui omnia agunt cum consilio, reguntur sapientia. ibid. cap. 13. v. 10. unde monet Spiritus S. Eccles. 32. v. 24. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

Procedit Regula etiam in casu, quo consilium bona fide datum in dampnum tertii redundat: ut si quis alicui justè suadeat, ut adeat hæreditatem, qua suo hinc non facta factus fuisset hæres aliquis tertius: vel si consilium justum det, ut instituat actionem de recuperando prædio sibi debito, quod aliàs retinisset injustus detentor &c.

Dicitur autem in responsione n. 2. data: bona fide datum; quia ex consilio non bona, sed mala fide, dolo, fraude, vel malitia dato obligationem datur extra controversiam est, ut patet ex ipsis Regulæ verbis: dummodo fraudulentum non fuerit, quod à sensu contrario, si fraudulentum est, obligatur. Quod idem clarè innuitur cit. l. Consilii. 47. ff. de R. J. ubi postquam Regula nostra expressa fuit illis verbis: Consilium non fraudulentum nulla obligatio est: statim altera à contrario loquens additur: Ceterum si dolo, & calliditas intercessit, de dolo actio competet; idque non obstantè ratione n. 2.



allegata, videlicet, quod consilium sequi nemo tenetur: cum adhuc ratione fraudis teneatur c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Rescriptis. ibi: quia fraus & dolus alicui parocinari non debent.

6 Notandum tamen singulariter cum Glossa, Dyno, & Strein. hic, male consulente non tenet tenei damnum reparare illi, cui consilium dedit, sed subinde etiam tertio, cui damnum suo consilio intulit; Et quidem si consilium circa contractum, vel quasi contractum, v. g. emptionem, venditionem, aut alium contractum dolose, seu fraudulenter dedit, damnum, quod inde secutum est, illi, cui consilium dolosum dedit, reparare tenetur, per jura hactenus citata. Si vero consilium ad maleficium, seu delictum, vel quasi tale dedit, v. g. ad perpetrandum homicidium, furtum, diffamandum, injuriandum, falsè accusandum, testificandum &c. damnum inde secutum tertio huic reparare debet: idque non ex actione doli mali, sed actione maleficii, aut delicti, quod fuerit, v. g. si furtum fuerit, actione furti tenetur. l. Si quis. 52. §. 21 ff. de Furtis. & l. Si quis. 20. c. eod. Si injuriam fuerit, actione injuriarum. §. Non solum. 11. l. Ibi. de Injuriis. ibi: Non solum autem is, injuriam tenetur, qui fecit injuriam, verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui mala pugno percuteretur. Quod idem sententiam habetur l. Non solum. 11. pr. ff. eod. ibi: Non solum is injuriam tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit, verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel curavit, ut cui mala pugno percuteretur. Si adulterium fuerit, tenetur lege Julia de adulterio. l. Hec verba legis. 12. ff. ad leg. Juliam. de adulter. coercend. ibi: Hec

verba legis, ne quis posthac suprum, adulterium facito sciens dolo malo, & ad tum, qui suasti, & ad eum, qui suprum intulit, pervenit & sic de aliis delictis.

Et verò, cui delictum fuerit, ad nil obligatur, etiam si & ille eadem actione tenetur per jura immediate citata, indeque damnum sentiat. Ratio est, Tum; quia delictum committens ipsemet fecit, & expendere debebat, id sibi non licere. Tum, quia nemo de improbitate sua consequatur actionem. l. Haque. 12. §. 1. ff. de Furtis.

Queritur II. An etiam, & quas sententias habeat hæc Regula? Resp. Eam fallere in Assessoribus, Advocatis, Medicis, & aliis, qui ex officio consilium dare debent; Hi enim, etsi non ex dolo, vel fraude, sed ex imperitia consilium alteri nocivum etiam bona fide præbeant, ad rescissionem damni inde secuti obligantur. l. 2. ff. Quod quisque jura in alt. ibi: Si assessoris imprudens jus aliter dictum sit, quam oportuerit, non debet hoc Magistratus officere, l. Si si assessor. & l. Illicitas. 16. §. 7. ff. de Officio Præsid. ibi: Si vi Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet: præterea humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse non debet. Ratio est; quia hoc ipso, quod ex officio consilia præbeant, ex quasi contractu obligati existunt, necessarium ad id habere, & comparare scientiam; sine qua filio hujusmodi funguntur, & ex imperitia consilium damnosum subministrant, culpam latam committunt: Culpam lata autem in jure æquiparatur dolo l. 1. §. 1. ff. Si Menor saluum modum dixerit, ibi: lata culpa planè dolo comparabitur.

REGULA LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Regula quomodo intelligenda?
- 3 Exceptio quid? non infirmat confessionem. Ibid.
- 4 Declaratur exemplo juris.
- 5 Ponitur versus sensus Regule.
- 6 Si reus factum, in quo actor suam intentionem fundat, fateatur quidem, sed excipit, onus probandi incumbit Reo.
- 7 Si reus securè confidit, quod Actor factum, in quo suam injustam intentionem fundat, satis probare non valeat, factum illud, etsi realiter contigerit, absolutè negare licet, & expedit.
- 8 Et quare? Ponitur doctrina multum practica.
- 9 Si reus dubitet, an actor factum probare possit: illud tamen negare expedit, & exceptionem sub conditione apponere: dato, non concessio, si esset factum.
- 10 Nunquam expedit, nudam & simplicem exceptionem facere.
- 11 Desumitur hæc Regula ex l. Non utique §. ff. de Except. ibi: Non utique existimatur confiteri de intentione adversarii, cum quo agitur, qui exceptionem utitur. Cui concordat c. Cum Venerabilis. 6. de Except. ibi: Exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus.
- 12 Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Resp. Eam sic esse intelligendam, quia quis ab alio aliquid petit, vel præterdit, & hic quidem expressè non negat, nec expressè confitetur factum, in quo intentio actoris, seu petentis fundatur, sed tamen excipit, seu ponit

exceptionem aliquam contra hujusmodi petitionem, non censetur confiteri intentionem adversarii sui, id est, petentis aliquid ab eo; v. g. Aliquis in judicio accusat quemdam dicens: ego dedi huic mutuum pecuniam mille florenorum, quos necdum solvit; ego peto, ut solvat: vel vendidi illi domum meam, & ille nondum solvit; peto ergo, ut compellatur ad solvendum: alter verò expressè non negat quidem mille florenos sibi mutuo datos, vel domum sibi esse venditam, neque id expressè fateatur, excipit tamen dicendo: jam pridem solvi; vel, adest pactum de non solvendo: vel, remisisti mihi debitum; hic non censetur fateri intentionem adversarii petentis. Ratio est, quia exceptio est actionis & intentionis exclusio, quæ reus, seu ille, à quo aliquid petitur, id, quod petitur, v. g. solutionem debitam, intendit improbare, & tacite saltem negare. arg. l. 2. ff. de Except. ibi: Exceptio dicta est, quasi quedam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve, deductum est. Ergo per eandem exceptionem fateri non censetur intentionem sui adversarii: Tum, quia hoc est contra essentiam, & intrinsicam naturam exceptionis juxta primum dicta: Tum quia, si excipiens fateri censeretur, exceptio duos sibi contrarios effectus haberet, confessionem videlicet, & negationem intentionis, quam adversarius præterdit; quod inconveniens est arg. l. Non omnis. 19. ff. de Reb. creditis. & l. Legat. 19. ff. de Legat. I.

Exemplum juris habetur c. Cum Venerabilis. 6. de Except. ubi orta inter Episcopum Sabinensem, & Monasterium Farfense, lite agente, & præterdente Episcopo. Ecclesiam S. Viti cum spiritualibus & temporalibus possessionibus & pertinentiis ad se pertinere

Regula LXIII. Exceptionem objiciens &c.

quam intentionem suam antequam fuffi ienter fundaret Episcopus. Procurator Monasterii præproperè excipiendo respondit: Ecclesiam, etsi olim ad Episcopum pertinisset, de facto tamen ad Monasterium pertinere ex causa permutationis. Quò auditò Episcopus suam intentionem sufficienter fundatam dicebat; quia (ajebat) si Monasterium causâ permutationis Ecclesiam obtinuit, ergo antecederet ipsa ad Episcopum pertinere. Quò nonobstante Papâ decidit, Episcopum intentionem suam minime fundasse allegando Regulam nostram, ibi: Quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non int. lligitur confessus. Hinc Resp. II. Versus Regula: sensus sequens est: Quando adversarii intentionem non censetur fateri, nec huic, sed actori adversario incumbit onus probandi, dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur. Per jura, & rationem allegata.

5 Dicitur autem notanter: dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolutè non fateatur, quia si Reus fateatur, tunc actor suam intentionem jam satis fundatè intantum censetur, ut releverat onere probandi, & Reo incumbat onus probandi suam exceptionem, v. g. Si Cajus quos ut mihi solvat, peto: vel, Titius meum parentem occidit; ergo peto la isfactionem; Titius verò respondeat: fateor quidem, Cajum mihi mutuos dedisse 1000. florenos; sed nihil amplius ei debeo, quia pridem jam solvi vel quia mihi hoc debitum jam dudum condonavit. Vel, Verum quidem est, quod Cajus mihi vendiderit domum, sed pretium non amplius debeo; quia locò hujus ipsi volente & instante, Cajo dedi aliud bonum immobile. Vel, verum est, quod occiderim patrem ipsum, sed ob necessariam mei defensionem. Per hujusmodi confessionem facti, in quo intentio Caji actoris fundatur, Cajus, ut dictum, ab onere probationis relevatur, & Titius ed gravatur, ac suam exceptionem probare debet; cum tali exceptione fiat Actor. l. 1. ff. de Except. ibi: Agere etiam is videtur, qui exceptionem utitur, Nam reus in exceptione Actor est. Et de ista numeri hujus doctrina a patris diximus, eamque probavimus Lib. II. Tit. 25. §. 3. à n. 91. ulteriori argumentò l. Si quidem. 9. c. de Exception. ibi: Si verò de hac confitendo exceptione te munitum asseveras, de hac tantum agi convenit.

6 Hinc Doctores communiter cum Glossa hic bene moment, cautè esse procedendum cum exceptionibus, & in praxi observandas cautelas cit. l. Si quidem. Et quidem primò, si reus certus est, vel indubitatè confidit, actorem non posse illud v. g. factum, in quo petitionem, & intentionem fundat, sufficienter probare, non excipere, sed absolutè negare debet factum tale, si (ut bene monet Glossa) cateroquin securus est in conscientia: v. g. Si quis iniquè à te petat solutionem dati mutui, quod revera fideliter jam solvisti; & bene scis, quod mutuum tibi aliquando datum probare non valeat, proferas nullam exceptionem opponere, sed absolutè negare debes, quòd mutuum tibi dederit, intelligendo mutuum necdum solutum; quia tunc Actor probare debet mutuum datum: qui si in probando desiciat, tu liber ab alio onere probandi absolveris; nam actore non probante reus absolvendus est. c. Cum in Ecclesia. 3. de Caus. p. sess. & proprias. juncta l. Qui accusare. c. de Eadem.

7 Et hæc Doctrina bene notanda, quia sæpissimè, & optinè levitur, quando actores duplicem solutionem, vel alius injusta iniquè petunt. Nec committitur in negatione hujusmodi facti, in quo iniquus actor suam injustam intentionem iniquè, & dolosè fundat, ali-quod mendacium, sed simplex & nuda profertur ve-

ritas; dum enim v. g. Actor iniquè petit solutionem mutui jam soluti, dicit mutuum à se datum sibi nondum esse solutum, & consequenter petit solutionem mutui nondum soluti: cum autem mutuum tale nondum solutum Reus non habeat, cum omni veritate negare, & dicere potest, se mutuum ab actore nonquam accepisse; in eo videlicet sensu, quo Juxde interrogat, & actor iniquè petit, mutuum nempe nondum solutum. Et quoniam sic negando absque on ni amphibologia, aut restrictione mentali puram dicit veritatem in casu necessitatis etiam juramenti de purgatorio, si offerretur, negationem suam firmare, sicque officere valet, ne ipse injusta patiatur, & ne iniquus actor ex sua malitia, fraude, & dolo commodum reportet contra c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Reser. pr. ibi: Fraus & dolus alicui parocinari non debent. Quod idem dic de malitia, quæ utpote lata culpa, dolo æquiparatur per dicta supra. Et conducit hæc doctrina tunc vel maxime, quando innocens Reus exceptionem suam, quam veram & justam habet, non potest probare: uti sæpe contingit.

Secunda cautela, per cit. l. Si quidem. infirmata, est: quod si Reus dubitet, an Actor factum, in quo intentionem suam fundat, probare valeat nec ne, offit utrumque cumulare, nempe negare factum, & sub conditione, si probetur, apponere exceptionem, dicendo v. g. nego, datum mihi fuisse mutuum: & si, datò non concessio, datum esset, aut quamvis probaretur, datum fuisse, tamen nulla obligatio amplius solvendi existeret; quia jam solutum est, vel quia adest pactum de non solvendo. Quem modum ut tutorem suadet Glossa, eamque approbant Dynus, Strein, & Canisius hic, dicentes: in tali conditionata confessione facti adhuc remanere onus probandi penes Actorem, edque non probante, reum absolvi debere. arg. cit. c. Cum Venerabilis. 6. de Except. ubi Procurator Monasterii hoc modo negandi factum, & in casu probationis future, exceptionem apponens lucratus est causam: quia Episcopus satis non probavit ibi Quid, etsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesie Sabineni, si subiecta eam tamen non poterat Episcopus vendicare, quam ex permutationis causa Farfense Monasterium obtinuerat. Ex eo enim, quia Procurator Monasterii factum non absolutè confessus est, (alias enim Papam ipsum condemnasset) sed sub conditione, si forsan subsisteret, exceptionem appositus, Papa dixit, Episcopum intentionem suam minime fundavisse per restum depositionem, vel procuratoris supra dicti responsonem; quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ, non intelligitur fuisse confessus. indeque pro Monasterio pronuntiat.

Ut proin nunquam consultum sit, exceptionem puram, vel nudam facere, v. g. petente Actore solutionem mutui puram simplicem exceptionem objicere, dicendo: non teneor, quia jam solvi, vel, quia adest pactum de non solvendo. Quamvis enim & hujusmodi nuda exceptio adhuc rejiciat onus probandi, nuntium v. g. datum esse, in actorem per dicta, & probata supra n. 4. Tamen quia non desunt Doctores, uti Dynus, Strein, Canisius, & alii dicentes: in tali casu onus probandi exceptionem suam illico incumbere Reo excipienti, idque ex illo fundamento, quòd is, qui fateatur, se jam solvisse, fateatur etiam saltem implicitè, se fuisse debitorem; cum, qui fateatur unum, per conlequens fateri censetur, quod sequitur ex illo. c. Cum super. 23. de Offic. Delegat. Hinc meritò pro praxi iudetur, ut nunquam exceptio pura & nuda fiat, sed vel factum absolutè negetur, si satis apparet, id ab Actore sufficienter probari non posse, per dicta n. 6. Vel si de hoc dubium existat, ponatur exceptio cum conditione, si factum, in quo intentio Actoris fundatur, sufficienter probetur, aut revera subsistat per dicta n. 9.